

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar. Viri  
... Dn. Danielis Bercovius, Ampl. Senatus Rostochiensis Secretarii meritissimi  
Funus, Quod Marito suo desideratissimo Vidua superstes hodie parabit  
Solenniter indicit, & ad eundum exequias Cives Academicos serio impenseque  
invitat : P.P. sub sigillo Rectoratus d. VII. Febr. Anno 1670.**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746840306>

Druck Freier  Zugang






Müller, H.,  
in D. Bercov.

Rost. 1670.
















RECTOR 46.  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS

Müller/

Theol. D. & Prof. Ordinar.

*VIRI Praclarissimi,*

DN. DANIELIS  
BERCOVII,

Ampl. Senatûs Rostochiensis

SECRETARII meritissimi

FUNUS,

Quod MARITO suo desideratissimo

Vidua superstes

hodiè parabit

Solenniter indicit, & ad eundum exequias

CIVES ACADEMICOS seriò impen-  
teque invitat.

*P. P. sub sigillo Rectoratus d. VII. Febr. Anno 1670.*



ROSTOCHII,

Literis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.




RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHENSIS  
HENRICUS  
Theol. D. & Prof. Ordinarius

HORA NOVISSIMA: TEMPORA  
PESSIMA: EVIGILEMUS.  
ECCE MINACITER IMMINET  
ARBITER ILLE SUPREMUS.

ΚΥΡΙΑ ΕΛΕΥΣΟΝ!







*Omnis homo, inquit Augustinus* qv. XCI. in Levit. *advena est nascendo, quoniam compellitur migrare moriendo. Et iterum Serm. XXII. de verb. Dom. Unusquisque hic & in domo sua hospes est. Si non est hospes, non inde transeat. Si transiturus est, velit nolit hospes est. Nam dimittit illam filiis suis, hospes hospitibus. Cessat tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis: nec mansurus manes, nec mansurus relinquis.* Idipsum insinuaturus quondam successoribus suis Albertus, Archiepiscopus Moguntinus, sepulcro suo hanc incidi fecit epigraphen, *All hernach / omnes sequemini*, referente Serario lib. I. rer. Mogunt. c. 31. Quod tamen non perpendentes multi tam improbi sunt, tamque, quò eant, oblitì, ut indoleant, quin & mirentur, aliquid sui si amittant, amissuri uno die & se & omnia. Quicquid enim est, cui Domini inscribimur mortales, apud nos est, nostrum non est. Nihil firmum infirmis, nihil fragilibus æternum est. Quotquot sumus omnes reservamur morti, & hodiè fors quam heri dedit Natura revocabit vitam atque conder. Non enim de re quæritur, sed de die. Vera ergò illa demum beatitudo est, seculi didicisse spernere beatitudinem, neglectisque terrenis ad cœlestia adplicare animum. Ecquæ enim dementia, inter-

minabili



minabili rerum torqueri curâ illarum, quæ cum parvæ  
sint tempore, non possunt re esse magnæ, nec longis dila-  
tari gaudiis, cum arcto concludantur fine? Proponens  
id apud animum suum Gregorius Nazianzenus carm. de-  
vilit. homin. in hæc erumpit verba;

*Idq; ipsum est quod vivo velut rapidissimus amnis  
Qui sursum exoriens semper ad ima fluit &c.  
At ego complectar mansura in secula Christum,  
Cum fuerint vita vincula rupta meæ.*

Egregia profectò tantoque Ecclesiæ Bræsule dignissima ani-  
mi resolutio, cum dilabuntur omnia, adhærere illi inque  
unum illum spes suas defigere, qui dilabi nescit. Eadem  
sedit sententia DANIELI nostro BERCOVIO, Viro tam præ-  
claris eximiisque animi dotibus ornato, ut vulgare in ipso  
nihil, nihil cerneretur protritum. Spretis & hic terrenis  
omnibus, ad cœlestia, quibus nunc fruitur, adspiravit  
unicè, dissolvi cupiens & esse cum Christo. Cæterùm,  
ut de eo, quicquid afferri hisce commentationibus recepto  
solutum est more, jam porrò exponamus, natus est Vir Præ-  
clarissimus Syverini Anno seculi hujusce XX. d. 4. Septembr.  
Patre Viro planè Eximio, JOHANNE BERCOVIO, Sere-  
nissimi Syverinensis per complures annos ministro fidelis-  
simo. Matre verò fœminarum lectissimâ, ELISABETA  
Meisners / quæ per Dei gratiam etiamnum superstitans  
acerbissimum filii suavis ingenti prosequitur mœrore.  
Avum paternum habuit honestissimi nominis Virum, DA-  
NIELEM BERCOVIUM, Aviam paternam ornatissimam  
matronam ANNAM Parumb. Avum maternum Virum  
Spectatissimum FRANCISCUM Meisner / Civem ac ne-  
gociatorem Lübecensem honoratissimum, Aviam mater-  
nâ



*nam* foeminam cultissimam CATHARINAM Rnevels.  
Cum verò, qui deplorandus in presenti generis humani  
status est, sine peccatorum inlueie concipi nascive Noster  
non posset, per sacram protinus aquam expiatus, Domi-  
noque nostro Jesu Christo consociatus est. Sollicitad e-  
in parentum cura & educatio amore atque timore Domini  
primum iuventæ florem imbuit. Quin adsciti etiam in par-  
tem cura sunt fideles doctique informatores, sub quorum  
moderamine eò profecit usque, ut *anno XXXVIII* in Scho-  
lam ablegaretur Stralesfundensem, in qua, non sine egre-  
gio studiorum profectu, per biennium substitit. Hinc *anno*  
*XL*. nostro datus Roseto, quoad hîc fuit vixitque (vixit au-  
tem per integrum ferè quadriennium) nil omninò neglexit  
rerum earum, quas proposito suo servituras ulla ratione  
existimaret. Sedulus etenim ad pedes Dnn. Jctorum, cele-  
berrimi imprimis SCHNOBELII, tam publicè quàm pri-  
vatim docentis sedit auditor, nec aut diligentia, aut, quæ  
juvenem quàmmaximè ornat Academicum, modestia  
quidquam in se desiderari passus est. Innotuit præclara,  
ejus tum eruditio, tum morum elegantia Nobilissimo Do-  
mino, Domino MARTINO de Borcken / in Schönnewald  
& Lobes Pomeraniæ occidentalis hæreditario, adeoque ar-  
ristit, ut *anno XLV*. ipsius curæ inspectionique liberos suos  
committere non dubitaret. Hanc provinciam & satis in  
se se suscepit lubens & tam eadem functus est fideliter, ut  
Nobiliss. Dominus de Borcken *anno XLVII*. ipsum unà  
cum filio suo natu maximo FRANCISCO JOHANNE in  
Academiam ablegaret ad Oderam Francofurtanam, in qua  
sub studiorum suorum moderatore BRUNNEMANNO,  
at quanto Viro in literatura Juris non parùm profecit. Hinc  
*anno XLVIII*. cum FRANC-JOHANNE suo in Regium  
perrexit Borufforum montem, ibidemq; Nobilissimos juri-

A



Antifites, Excellentissimū imprimis RICCIUM audivit. Quamquam ob morbum, qui grassari cœperat juvenes inter studiosos, epidemicum non admodum ibi diu substitit, sed anno unico saltem elapso cum Nobili suo de *Borcken* contendit Hasniam, perlustratisque celebrioribus Regni Daniæ locis huc tandem remigravit ad nos, & non FRANCISCI saltē JOHANNIS, sed & germani ejus CASPARIS MATTHIÆ de *Borcken* studia moresque ulterius moderatus est. Factum interea, ut *anno LI.* à Serenissimis orbis nostri Meklenburgici Principibus judicium provinciale denuò introduceretur. Tum verò Noster ob excellentem eruditionem, singularemque fidem ac candorem primū quidem judicii illius Protonotarius, sequente verò anno Registrator ritè electus est. Eopse anno ad matrimonium applicans animum tori sibi junxit sociam Virtutum cultu insignem Virginem CATHARINAM, Viri Amplissimi, Dn. GEORGII *Hagemeisters* / Senatoris quondam apud nos Prudentissimi filiam, nunc mœrore ferè oppressam viduam, cum qua & tranquillam per 19 annos traduxit vitam, & tori suscepit pignora, filios tres, JOH-GEORGIUM, LAURENTIUM, FRIDERICUM, duasvè filias, MARGARET-ELISABETAM & ANNAM CATHARINAM. Filiorum primus & ultimus maturè denati cœloque redditi, medius adhuc in vivis unà cum matre, avia, Sororibusque desolatissimis B. Parentis obitum acerbissimè deplorat. Confortet eos dulcique reficiat solamine, qui se pupillarum vocitat patrem, ultoremque viduarum Deus! Cœterum, quia sceleribus nostris provocatus Deus *anno LIX.* Sternbergum, judicii Provincialis sedem, igne ferè consumsit totum, solum vertere coactus Noster ad nos venit nostrumque non nunc ut olim rosetum, sed senticetū eheu! domicilii sui sedem eligens, vitam heic pro virili integram sceler-



lerisque puram transegit. Quâ re factum, ut *anno LXXI.*  
postquam, satis sic disponentibus, ad plures ivisset B. JA-  
COBUS Schoeff/ Amplissimi Senatus Secretarius, ab eo-  
dem Senatu in locum functi surrogaretur Noster. Cui fun-  
ctio eâ profectò præfuit dexteritate, fidelitate eâ, uti vix  
quiret majori. Christianismum VIRI quod attinet, non  
quidem ille ab omni labe immunis fuit, quæ humana nunc  
est conditio, impensè tamen studuit, ut in viis ambularet  
mandatorum Domini. Pietatem, Virtutum Reginam omni-  
um, quàm maximè sectatus, vanitates, fallaciasq; mundi  
detestatus est. Cum proximo candidè agens frontem nun-  
quam ab interno pectore dissidentem exhibuit, secus ac ex  
hodiernorum Politicorum Ordine permulti, qui blandien-  
tes fingere vultus, mel merum loqui, & amara præcordio-  
rum delenificis mutare sermonibus ex asse didicerunt. Sed  
properandū nobis ad id quod Eximio Viro finem fecit. Non  
nimis est diu, quùm in ipsâ curia valetudine attineretur, de-  
que ea initio non admodum quidem impensè, deniq; verò  
nimio perè queri inciperet. Itum protinus ad animam Medi-  
cum ipsum DEUM, ejusq; administrum Rev. Dn. M. Ludov.  
Barchley / Diaconum Marianum, Collegam dilectum, uti  
ejus operâ interventuque extremo viatico, i. e., corpore  
& sanguine Dominico, instrueretur. Qui cum ipse clinici  
desideria, præviâ seriâ, ardentique peccatorum confessio-  
ne, expleisset, adhibitus continuo in consilium est Vir Expe-  
rientissimus, Excellentissimusque Dn. JOHANNES BAG-  
MEISTERUS, Medic. D. & Professor celeberrimus, Colle-  
ga noster honoratissimus, qui satis quidem gnaviter ægro  
studuit, finem tamen, quem intenderat, minimè assecutus.  
De quo ipsum nunc perorantem audiemus. *Vir Pereximius  
ac Literatissimus Dn. DANIEL BERCOVIUS, amicus meus dum  
adhuc superstes conjunctissimus nunc desideratissimus, XXIV  
præter*



præteriti Mensis Januarii die in Curia horrore quodam insigni  
corruptus, domum se recipiens, statim curavit me vocari: Ubi sub  
ingressum ex omnibus circumstantiis animadverti, illum Pleuri-  
tide laborare; Conquereretur enim de dolore punctorio lateris  
dextri & difficili respiratione, incipiebat tussire, pulsus erat du-  
rus, calorq; intensissimus. Quare citra ullam moram ad ordi-  
naria itum præsidia: Vena namq; sua aperta sanguisque detra-  
ctus, qui pessimè sese habebat, sudorifera cum alterantibus &  
Cordialibus adhibita, expectorantia præscripta, nihilque illo-  
rum intermissum, quæ unquam hostem hunc debellare atq; foras  
ejicere possent optumè: Verum frustra omnia. Febris etenim de-  
borâ in horam cum tussi augebatur, vigilia erant continua cum  
leni quodam delirio, viriumq; prostratu insigni. Quarto die cum  
sputum dolorem non tolleret, vultusq; appareret demissus, & oculi  
aurigine suffusi caliginèq; obducti essent, maximus etiam ex sputo  
in pectore contento audiretur sonus, nil præter mortem hic expe-  
ctandum esse adstantibus significavi, vires quippe huic oneri fe-  
rendo non amplius erant pares. Hinc quoque factum, ut sub fi-  
nem sexti post invasionem diei spretis omnibus etiam exquisitissi-  
mis remediis placidè in Domino obdormiverit, nobis omnibus ma-  
ximum sui desiderium relinquens. Sic ergò Noster inter præ-  
cationes, meditationes, vota atque suspiria plenus spei  
ac fiduciæ, ut qui cœlestium mox admiscendus erat confor-  
tio, d. 30. Jan. placidissimè expiravit, ætatis anno XLIX.  
Vos jam, Cives Academici, frequentes Viro honoratissimo  
ite exequias, atque ita supremum humanitatis præstate  
officium. Quod uti promptissimè faciatis, Vos  
omnes atque singulos seriò studiosè-  
que moneo.


Conventus fiet in templo Mariano post horam I.






















lerisque puram transegit. Quâ  
postquam, satis sic disponentibus  
COBUS Schooff/ Amplissimi Se  
dem Senatu in locum functi surro  
gati eâ profectò præfuit dexteri  
quiret majori. Christianismum  
quidem ille ab omni labe immuni  
est conditio, impensè tamen studi  
mandatorum Domini, Pietatem, V  
um, quàm maximè sectatus, var  
detestatus est. Cum proximo can  
quam ab interno pectore dissiden  
hodiernorum Politicorum Ordine  
tes fingere vultus, mel merum loq  
rum delentificis mutare sermonibus  
properandū nobis ad id quod Exir  
nimis est diu, quum in ipsâ curia va  
que ea in initio non admodum quid  
nimo perè queri inciperet. Itum  
cum ipsum DEUM, ejusq; admini  
Barchley / Diaconum Marianum  
ejus operâ interuentuque extrem  
& sanguine Dominico, instrueretur  
desideria, præviâ seriâ, ardentiqu  
ne, explestet, adhibitus continuo i  
cientissimus, Excellentissimusque  
MEISTERUS, Medic. D. & Profes  
ga noster honoratissimus, qui satis  
studuit, finem tamen, quem inten  
De quo ipsum nunc perorantem a  
ac Literatissimus Dn. DANIEL BERCO  
ad huc superstes conjunctissimus nunc



anno LXVI.  
vivisset B. JA  
tarius, ab eo  
ster. Cui fun  
ate eâ, uti vir  
attinet, non  
humana nunc  
is ambularet  
ginam omni  
ciasq; mundi  
rontem nun  
it, secus ac ex  
qui blandien  
a præordio  
cerunt. Sed  
em fecit. Non  
tineretur, de  
deniq; verò  
anima Medi  
n. M. Ludov.  
dilectum, uti  
e, corpore  
m ipse clini  
m confessio  
est Vir Expe  
NNES BAG  
mus, Colle  
naviter agro  
nè affecutus.  
Peregrinatus  
us meus dum  
imus, XXIV  
prater